


1854

EDICTUM

CONVOCATIONIS CONCILII PROVINCIALIS IN QUEBECENSIS.



PETRUS-FLAVIANUS TURGEON,

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA ARCHIE-
PISCOPUS QUEBECENSIS, ETC., ETC., ETC.

*Reverendissimis Provinciæ Quebecensis Episcopis, nostro corundemque Clero et
Populo, Salutem in Domino.*

Quum secundum Sacrosancti Concilii Tridentini præscriptiones, tertio quoque anno, in unaquaque Provincia Ecclesiastica, celebrandum sit Concilium, ut pastores simul congregati, inspirante Spiritu Sancto, utiliora possint media seligere ad tuendam stabiliendamque fidem in cordibus christianorum, cultum divinum ampliori honore munendum, studium bonorum operum amoremque rectæ discipline in clero populoque fovenda; Nos, præterea, Decretum XX primi Concilii Provinciæ Quebecensis obsequentes, pro muneris nostri officio, secundum Concilium ejusdem Provinciæ in civitate Quebecensi, ecclesiaque nostra metropolitana, indicere et convocare decrevimus, illudque, in dicta ecclesia, Dominica infra Octavam Ascensionis, die scilicet 28a mensis Maii præsentis anni, incipiendum, per præsentes indicimus atque convocamus.